ACADEMIÆ OXONIENSIS NOTITIA.

OXONIÆ,
Typis *W. H.* Impensis *R. Davis.*
M. DC. LXV.

EXCELLENTISS. D.

D. ANTONIO MESSIA

A TOVAR ET PAZ

EQUITI

ORDINIS CALATRAVÆ

COMITI A MOLINA

AB HERRERA

CATHOL. REG. MAJEST.

A CONSILIIS

EJUSDEMQUE

APUD SERENISS. D.

BRITANNIARUM

REGEM

ORATORI

D. D.

NOTITIÆ OXONIENSIS CAPITULA.

De Oxoniæ Situ.
De Academiæ Antiquitate & Dignitate.
De Academiæ Privilegiis.
De Statutis.
De Officiariis,

Cancellario,
Seneschallo,
Vicecancellario,
Procuratoribus,
Oratore Publico,
Archivorum Custode.

De Ministris.
De Scholis Publicis, & Lectoribus,

Theologiæ,
Medicinæ,
Jurisprudentiæ,
Linguæ Hebraicæ,
Linguæ Græcæ,
Linguæ Arabicæ,
Historices,
Philosophiæ Moralis,
Philosophiæ Naturalis,
Geometriæ,
Astronomiæ,
Anatomices,
Musicæ,
Metaphisicæ,
Logicæ,
Rhetoricæ,
Grammaticæ.

De

De Bibliotheca Publica.

De Collegiis: (Et Viris Illuſtribus.)

I. *Univerſitatis,*
II. *Balliolenſi,*
III. *Mertonenſi,*
IV. *Exonienſi,*
V. *Orialenſi,*
VI. *Reginæ,*
VII. *Novo,*
VIII. *Lincolnienſi,*
IX. *Omnium Animarum,*
X. *Magdalenenſi,*
XI. *Ænei Naſi,*
XII. *Corporis Chriſti,*
XIII. *Æd. Chriſti,*
XIV. *Trinitatis,*
XV. *Sancti Joannis,*
XVI. *Jeſu,*
XVII. *Wadhamenſi,*
XVIII. *Penbrochiano.*

De Aulis,

I. *Gloceſtrenſi,*
II. *Edmundi,*
III. *Albani,*
IV. *Cervina,*
V. *Novi Hoſpitii,*
VI. *Sanctæ Mariæ Virginis,*
VII. *Sanctæ Mariæ Magdalenæ.*

APPENDIX,
De Viris Illuſtribus.

ACADEMIÆ

ACADEMIÆ
OXONIENSIS
NOTITIA.

De Oxoniæ Situ.

OXONIA, Urbs ſatis ampla & elegans, Angliæ penè Meditullium occupat: cujus ſitum pulcherrimum pulchre depinxit Vir diſertiſſimus, de JACOBO Rege, una cum Uxore ANNA Regina, Filioque HENRICO Principe, Academiam inviſente, hunc in modum ſcribens; *Jamque Principes, qui a ſeptentrione (qua ſpectatiſſima planities permultis paſſuum millibus jucundiſſime patet) Civitatem antea procul eminentem conſpexiſſent: quo propius accedunt, eo liquidius intelligunt, non immerito apud antiquos, Oxoniam,* Belloſitum *audiiſſe; quaſi Muſæ conſpiraſſent, hic tantum domicilia ſibi ſtatuere, ubi & Amœnitas & Salubritas ſuas ſibi ſedes potiſſimas præeligiſſent. Vident enim Campos atque ſuaviter ridentia prata Collibus turgentibus, Colles nemoribus frequentibus ita circummuniri, ut Euro tantum & Aquiloni (qui Joli è filiis Æoli Medicam exercent artem) pateat aditus* 1605. Iſaac. Wake Reg. Platon. p. 14. Sed nuperâ Bella Arborum quam hominum majorem fecerunt ſtragem.

ad hæc ſacra Domicilia, ne reliquorum fratrum habitu pernicioſo contaminarentur. Vident (quodque viſu perjucundum) a læva Cherwellum, *fluvium Piſcium copia varietateque decantatum; à dextra* Iſidem, Thamiſis *(Fluminum Britanicorum Principis) parentem; utroſque longis itineribus varias regiones peragrantes, quaſi certo inſtituto, ut hanc literarum Metropolin primo inviſerent, eamque ſeque ibi mutuo ulnis complecterentur, priuſquam ipſam Regni Metropolin inviſere dignarentur. Nam ſub ipſis hic mœnibus ad Euro-auſtrum dextras nectunt, ſicque in Inſulis ludunt, ac ſi data opera, loci amœnitate, Urbiſque celebritate capti, curſum alioquin*
Tam-iſis. *rapidum ſpectandi gratia remorarentur, moxque* Tama *fluvio aſſociato, nomina pariter atque aquas communicantes, uno alveo* Londinum *decurrunt.*

De Academiæ Antiquitate & Dignitate.

OXONIENSIS Academiæ, quæ fama nulli ſecunda, Inſtitutis, opulentia, ædificiorum ſplendore. Bibliothecarum apparatu, omni denique Literarum laude omnes antecellit, Origines tamen ipſa vetuſtate obſcuræ ſunt.
880. Tradunt majores, ÆLFREDUM Regem, & rerum geſtarum gloria, & eruditione, prout ea ferebant tempora, Clariſſimum, *Scholas* eas non tam inſtituiſſe, quam inſtauraſſe. Certe proximis poſt eum ſeculis, bonarum Artium-
1050. ſtudia ibidem floruiſſe, teſtis eſt omni exceptione major, qui ante annos ſexcentos vixit, *Ingulphus* Abbas *Croylandenſis.*
Ingulph. p. 513.

Secutis deinde temporibus adeo inclaruit, ut non ſolum

Matthæ-

Matthæus Parisiensis, Nobilis Historicus, *trium millium clericorum* ibidem studiis vacantium meminerit; Idemque *secundam Ecclesiæ Scholam, imo Ecclesiæ fundamentum appellarit:* 1209.
Sed & *Bonifacius* Octavus Papa, Sextum Decretalium Librum ad *Studia Generalia* legendum transmittens, *Oxoniense* inter primaria secundo loco numeraverit: quod & fecit *Clemens* Quintus Papa, in Concilio suo Generali Viennæ celebrato, ubi sancitum erat, Scholas Linguæ *Hebraicæ, Græcæ, Arabicæ*, & *Chaldææ*, in *Parisiensi, Oxoniensi, Bononiensi*, & *Salamantino Studiis*, utique celeberrimis, erigendas. 1259. 1298. 1311.

Et magnificis quidem elogiis exteri etiam homines Academiam nostram ornaverunt; quorum unum & alterum addidisse non pigebit. *Erasmus* igitur, de Anglia nostra & Oxonia, (*Oxonienses* siquidem erant, quos enumerat) in Epistola ad *Robertum Piscatorem* Anglum in Italia degentem, sic scribit; *Cælum tum amœnissimum tum saluberrimum hic offendi; tantum autem humanitatis atque eruditionis, non illius protritæ ac trivialis, sed reconditæ, exactæ, antiquæ, latinæ Græcæque, ut jam Italiam, nisi visendi gratia, haud multum desiderem.* Coletum *meum cum audeo*, Platonem *ipsum mihi videor audire. In* Grocino *quis illum absolutum Disciplinarum Orbem non miretur?* Linacri *judicio quid acutius? quid altius? quid emunctius?* Thomæ Mori *ingenio quid unquam finxit Natura vel mollius, vel dulcius, vel fœlicius? Jam quid ego reliquum Catalogum recenseam? Mirum est dictu, quam hic passim, quam dense veterum literarum seges efflorescat.* 1497. Epist. lib. 5. p. 218.

Polydorus autem *Virgilius* de Academia nominatim Oxoniensi; *Hæc statim à principio tum Divinarum humanarumque Literarum studiis, tum mira hominum in doctrinas incumbentium frequentia multo celeberrima esse capit; deincepsque* Pol. Virg. Hist. Angl. lib. 9. p. 106.

que usque eo floruit, ut jam facile cum quovis alio totius Orbis Gymnasio de nominis gloria certare posset: In qua Discipuli ipsi ut cujusdam religionis observatione â primo imbuti, neutiquam minus animos bonis moribus, quam literis excolunt: habent enim Cœnobia magnifico apparatu constructa, multorumque cum Episcoporum, tum Regum hominumque Nobilium, ac fœminarum probatissimarum muneribus opulentissima, quæ Collegia vocitant, quod eorum Collegia ibi collocata sint; quorum Magistri sunt viri doctrina inprimis probati & honesti. Igitur domi cum abunde suppeditentur facultates, communiter vivunt, ac quotidie bene mane, aut rem Divinam faciunt, aut sacris intersunt, quam ad rem literariam aggrediantur; atque ita Deum cumprimis venerantes, sese in castissimo simul vivendi genere, & doctrinarum omnium studiis exercent, unde jugiter singulari pietate & eruditione viri, velut ex quodam totius Orbis ampliſſimo Disciplinarum Theatro, existunt, qui tam pie quam utiliter nunc docendo, nunc scribendo, mirum in modum rem Christianam juvant, celebrant, tuentur.

Discript. Brit. p. 12. His paria habet etiam Paulus Jovius; Vigent & duo Gymnasia, alterum apud Oxonium supra Thamesin, alterum Cantabrigiæ non longe ab Elisiensis urbis paludibus. In hæc ingenuorum adolescentium ingens numerus ad perdiscendas liberales disciplinas concurrit; Professoribus enim stipendia, alimentaque Discipulis, antiqua Regum liberalitate, & optimorum Antistitum testamentis persolvuntur: Condidere sicquidem multis ante seculis supra viginti septem Collegia constructis è lapide peramplis ædibus, quibus ad sempiternam beneficentiæ laudem Conditores cognomenta & insignia reliquerunt. Nihil autem ea juventutis educatione institutioneque modestius, religiosius atque frugalius: ut non mirum sit, inde provenisse ingenia, quæ in Dialectica, Philosophiaque & in sacris demum literis,

Europam

Europam omnem ſubtilitatis admiratione compleverint: Et tum maxime, cum majores noſtri repudiatis optimarum ſcientiarum authoribus, nihil potius quam difficiles captionum nodos & convoluta diſputantium ſophiſmata mirarentur.

Cæteros prætereo; cum inſtar omnium fuerit Vir prudens & Illuſtris, *Didacus Guſmanus de Sylva, Hiſpaniarum* Regis Legatus: qui cum, ELIZABETHÆ Reginæ *Oxoniam* inviſentis lateri adhærens, Academiæ magnificentiam, & Collegiorum ſplendorem perſpexiſſet, dieſque plures Diſceptationibus Gymnaſticis, noctes vero Spectaculis Comicis Tragiciſque interfuiſſet, hujuſmodi verba ſæpius protuliſſe dicitur, *Regiones plures perluſtravi; Multa vidi; ſed hæc ſunt admiranda: & ſic referam ubi in patriam venero.*

De Academiæ Privilegiis.

JUra ſane & *Privilegia*, quibus jam olim, Optimorum Principum benignitate, gaudet Academia, multa ſunt & Ampliſſima: Precipua quædam Vir diſertiſſimus paucis complexus eſt. *Ea eſt Oxoniæ conditio, ut diverſis hiſce conſtet incolis, Academicis & Civibus: unis quidem mœniis utriſque cinctis; ſed ſtudiis, moribus, Privilegiis, mire ſejunctis. Idcirco cum Reges ſeculi antiquioris (quorum erga Literas incredibili propenſione Britannia ſemper erat fœliciſſima) viderent hic commode fieri non poſſe, quod* Sequanæ *beneficio ſit* Pariſiis, *ut flumine ſejungerent Academiam a Civitate; voluerunt ſaltem Legibus, totiuſque regiminis ratione ſeparare. Ita fit, ut nec iidem ſint utriſque limites (Academiæ enim multo latiores) nec par authoritas, aut Tribunalium poteſtas; quum Magiſtratu Urbano Academicus non loco tantum ſuperior ſit, ſed* Reg. Platon. pag. 10.

ſed omnibus fere momenti negotiis, vel ipſam Urbem ſpectantibus: Ideoque præter Magnificum Cancellarium, ejuſque Procancellarium (qui annuatim ad ejus abſentis obeundas vices ſubſtituitur) duo ſurrogantur Academiæ Procuratores, qui annuatim etiam ſuffragiis electi, proximam a Procancellario dignitatem obtinent, eique tanquam Tribuni publici adſiſtere, & in conſiliis adeſſe debent; Civeſque etiam, & advenas, quovis modo delinquentes (qua cauſa noctu plerunque excubant, ſuſpectaſque Civium ædes perſcrutandi jus habent) carceris, corporiſve pœna mulctant, aut ſi res exigat, ejectos extra Urbem æternum proſcribunt. Rerum etiam venalium, ponderum, menſurarum, jus & examen per Clericos Mercatus, & quicquid demum ad fælicem ſtudioſorum conditionem ſpectat, per Officiarios ad hoc deputatos Academia adminiſtrat. Atque ne ulla unquam Civium injuria

1254. *Academia laceſſeretur,* HENRICUS *Tertius quatuor viros* (Aldermannos, *vocant*) *alioſque octo* Aſſociatos (*cives omnes primarios*) *primus inſtituit, qui ſumma præditi authoritate & ad Cives coercendos operam omnem navarent, & juramento annuo ſe obſtringerent* (*quod una etiam Prætor, Ballivi, & quinquaginta alii ex præſtantiſſimis Civibus in primaria Academiæ Eccleſia quotannis præſtare tenentur*) *ad omnia Academiæ Jura, Privilegia, & Libertates conſervandum: idemque Civium numerus, totius Civitatis nomine, quotannis die Sanctæ Scholaſticæ in publico Academiæ conventu, ſinguli, Denario ſolenni ceremonia perſoluto, exhibent iſtius obſequii ſui teſtimonium.*

De

De Statutis.

JUs etiam Leges sibi condendi habet Academia; quas pro varia temporum ratione varias sanxit. Sed *cum decursu temporis fieri soleat, ut non solum a legibus paulatim deflectant Mores, sed & ipsa tandem vitientur Remedia; non minoris consilii atque industriæ rem esse censuit Academia, Legum vitia sanare, quam Hominum.* Praf. Statut. Academ.

His malis, sibi, utpote Academiæ hujus Alumno, probe perspectis, medicam manum adhibere decreverat HENRICUS Quintus; Sed Optimo Principe morte immatura sublato, post aliquot annos, haud longe ab Artis Typographicæ exortu, ad statuta sua recognoscenda, & in unum Corpus redigenda, ipsa se accinxit Academia: sed irrito molimine. *Henrico* Octavo Rege, aggreditur *Wolsæus* Cardinalis. Sub *Edwardo* Sexto idem tentatum: ut & *Maria* rerum potiente, sub Cardinalis *Poli auspiciis*, idem recruduit labor. Sed horum omnium conatus ipsa Operis perplexi magnitudo & difficultas irritos reddidit. Henric. V.

Interim tamem, inter incerta vacillans statuta viguit Academia, colebantur studia, enituit Disciplina; & optanda Temporum felicitate, Tabularum defectus resarcivit innatus Candor; & quicquid Legibus deerat, Moribus suppletum est. Præf. Stat.

Tandem sub Illustrissimo Comite Pembrochiano, *ex integro lacertos movere cæpit Academia, & spes aliqua perficiendi Operis sub illo renovata: sed (tanquam conspirantibus omnibus, ut quicquid est facinorum altiorum tam consummato Viro se deberet) Reverendissimo Archipræsuli* Cantuariensi *feliciter reservatum est.* *Guilielm.* Com. *Pembr.* Acad. Canc. *Guil. Laud* Archiep. *Cant.* Acad. Cancellar.

Sed

Sed & manus etiam Augusta sacro huic labori non defuit.
Carol. I. Rex. *Ipse multus in eo* CAROLUS; *hortatus est, acceleravit, exegit. Neque vero Honoratissimum Cancellarium nostrum (acerrimum alioquin ἐξυπνιώτατον) quotidiano fere convitio extimulare, Operisque moras (quas variæ antehac frustrationes merito suspectas fecerant) ac lentitudinem objurgare, satis habuit; quin & consilio suo Opus juvare dignatus, adversus præcipitem novandi libidinem (quæ, permissa utique, licentius grassatur) præsentissimum Remedium propinavit; ne scilicet, ab antiquis statutis longius abiremus, quam vel necessitas, vel dispar seculi Genius requirit. Id quod sedulo ac religiose cautum est.*

1634. His itaque Auspiciis Auxiliisque Opus tandem absolutum, & Magnificis Typis excusum est, *Oxoniæ*, MDCXXXIV.

De Officiariis.

SUpremus Academiæ sub Domino Rege Magistratus est

Officiarii Hodierni. D. EDWARDUS HIDE Comes *Clarendunensis*, Reg. ni etiam Cancellarius.

Cancellarius; Eligendus per *scrutinium* in Domo *Convocationis*.

Ejus Munus est, Publicum totius Universitatis Regimen curare; Libertates & Privilegia ejus tueri: Congregationes Majores & Minores convocare: Ad Gradus Scholasticos promovere. Controversias audire & terminare. Curias, Diesque Juridicos celebrare ac tenere. Delinquentes punire. Juramentum annuum a Burgensibus, & Vice comite,

Univer-

Universitati præstandum exigere. Aliaque Cancellariatus Officio secundum Statuta, Consuetudines, & Privilegia Academiæ, peculiariter annexa, exequi & exercere.

Seneschallus; A Cancellario per literas, totius Universitatis Authoritate comprobandas, ad terminum vitæ designandus. — *JOANNES EGERTON* Comes de *Bridgwater*

Ejus Munus est, Jura & Libertates Universitatis tueri. Cancellario, ejusve Vice-cancellario, ac Procuratoribus, in executione Munerum suorum, ad eorum requisitionem assistere. Causas Capitales, ad Cancellarii Mandatum, secundum Jura Regni, & Privilegia Universitatis, audire ac terminare.

Vicecancellarius; A Cancellario, ex Collegiorum Præfectis quotannis nominandus. — *Robertus Say*, S. T.D. Coll. *Orialensis* Præpositus

Ejus Munus est, Cancellarii absentis vices gerere: Quicquid autem de Consuetudine vel Statutis Universitatis Cancellario, cum præsens fuerit, permittitur; hoc idem, in ejus absentia, nisi in majoris momenti negotiis, a Vice-cancellario fieri potest.

Ipsius etiam est prospicere, Ut Conciones, Prælectiones & Disputationes, cæteraque Exercitia debitè peragantur: Ut delinquentes inquirantur & puniantur: Hæretici & Schismatici procul a finibus Universitatis amandentur. Ut Procuratores, & alii Officiarii & Ministri muneribus suis sedulo fungantur: Ut Bona communia Universitatis, & Scripta Munimentaque fideliter conserventur: Ut Curiæ & Tribunalia debitè celebrentur; liteſque sine dilatione

audiantur & decidantur. Ut annua Prætoris & Oppidanorum, ut & Vicecomitis, Juramenta Universitati præstanda, exigantur. Denique, ut quæ ad Honorem Universitatis, & utilitatem communem & profectum Literarum conducunt, omni studio procurentur & expediantur.

Phineas Berry, Coll. *Wadh.*
David Thomas, Coll. *Nov.*

Procuratores duo; Per vices Collegiorum annuatim eligendi.

Eorum Munus est, Negotia Universitatis, Rationesq; procurare: In Scrutiniis Vota Suffragantium exigere. In Gradibus conferendis juramenta excipere. Chartas & Munimenta Universitatis diligenter custodire. Exercitiis & Actibus Scholasticis interesse. Noctivagos diligenter investigare. In singulos, Statuta & Privilegia violantes, inquirere & animadvertere.

Robertus South, S. T. D. ex Æde *Christi.*

Orator Publicus;

Ejus Officio incumbit, literas & Epistolas ex Decreto Convocationis, vel etiam Congregationis, quoties opus fuerit, conscribere; & easdem in Domo palam recitare. In Receptione Principum, Procerum, & Magnatum, Academiam invisentium, necnon in quacunque alia occasione solenni, cum Vicecancellario expedire videbitur, Orationes Tempori & Occasioni accomodatas habere.

Joannes Wallis, S. T. D. *Geometr.* etiam *Præl.*

Archivorum Custos;

Ejus Munus est, Chartas, Munimenta, Registra ad Universitatem spectantia colligere, ac diligenter evol-

vere

vere, adeoque in numerato habere, ut Cancellario, Vicecancellario, Procuratoribus, & Seneschallo, prout occasio tulerit, præsto adesse, consulere, ac in tuendis Universitatis Privilegiis ac Juribus expeditum Vindicem præstare se valeat.

De Ministris.

CAncellario, ejusve Vicecancellario inserviunt

Bedelli Sex, Trés scilicet Superioris Ordinis, Armigeri, Clavis deauratis; totidemque Inferioris, Argenteis.

Eorum Officio incumbit, Assidue Cancellario, sive Vicecancellario, ad manum præsto esse; & in publicum prodeunti, præsertim ad Actus Scholasticos, Clavas præferre: Ejusdem Præcepta denunciare; & ad ejus Mandatum in quosvis manus injicere, eosque in carcerem compingere. Citationes & Summonitiones facere; Dies Juridicos indicere: Convocationes præconizare. Concionatores ad Ecclesiam, Prælectores ad Scholam, deducere, & domum reducere. Aliaque hujusmodi.

His adjungitur etiam statis temporibus septimus, scilicet

Virgifer,

Cujus est, In Publicis & solennibus Universitatis Actibus & Conventibus, Argenteam Arundinem, una cum cæteris Bedellis, Anteambulonis more, coram Cancellario, vel Vicecancellario gestare.

Sunt & alii minorum gentium tam Officiarii quam Ministri, quos brevitati studentes præterimus.

De Scholis Publicis, & Lectoribus.

R. Platon. pag. 123.

INter *Scholas* Publicas præcipuè eminet, ut par eſt, *Theologica. Ædes ipſæ, ut nomine & uſu, ſic dædala totius fabricæ politura, plane Divinæ; & de quibus, niſi omnium advenarum oculi faſcino decipiantur, magnum illud Eulogium a magno illo peritiſſimoque judice veriſſime ſit uſurpatum,* Inviſurum facilius aliquem, quam imitaturum. *Parietes utrinque ſublimibus feneſtris toti fere vitrei, ut Architectonices imperitis miraculi ſit inſtar, iſtiuſmodi fulcimentis tam immania pondera (nam ingentem* Bodlæanam *Bibliothecam geſtat) ſuſtineri: Neque tamen aut trabium quicquam eſt, aut ligneæ materiæ; Saxo candent omnia puriſſimo; ſaxoque dices, ſi tecti pulcherrime arcuati, pendulæque ſculpturæ mirabilem texturam ſpectes, plane vivo; & cujus ſeria contemplatio nonnihil eorum firmabit ſententiam, qui neſcio quot vicenis annis tantum Opus partu laboraſſe ferunt.*

Camden. Brit. p. 270.

1390. Br. Twini Miſcell.

Jactis ſiquidem fundamentis circa *Anno* 1390. *Sexaginta fere annis intermiſſum opus erat; donec* Richardus *quidam* Mey *in Artibus Magiſter, in ſumma ſua ſenectute locuples, ad has Scholas perficiendas pecunias largitus eſt. Tum vero opere ſuſcepto, exortus eſt mox alius Academiæ Oxonienſis alumnus* Thomas Kempe *Londinenſis Epiſcopus, Anno Domini* 1470. *Regnante* Edwardo *Quarto: Is Oxonienſium rebus commotus, eas Scholas fornicibus ſubterraneis fundavit, parietes qui neglecti ſexaginta fere annis ſtetiſſent, quadrato & polito lapide, valvis, turriculis, tectoque abſolvit, & Doctoris Cathedram artificioſe depictam ad naturalis Cæli imaginem ſtatuiſſe dicitur.*

1446.

1470.

Reli-

Reliquas Artium liberalium Scholas a fundamentis ædificavit MARIA Regina: Quas, non quidem inelegantes, vicinæ tamen *Theologicæ* & *Bibliothecæ* magnificentia impares, pacificis JACOBI Regis temporibus, ipsa diruit Academia, & opus Regia prorsus magnitudine dignum aggressa, Novas & splendidissimas, multorum Benefactorum liberalitate adjuta, extruxit & absolvit, in quibus omnes Artes Scientiæque laxius habitare possent. 1557.

Et nequid Academiæ decori commodisve desit, Magnificum Theatrum, Exercitiis Scholasticis destinatum, jam nunc molitur Reverendissimus D. *Gilbertus* Archiepiscopus *Cantuariensis*.

Nec importunum videatur, *Horti* etiam Publici hoc in loco saltem meminisse, selectiorum Plantarum varietate & copia soli fere Paradiso cedentis: quem pulcherrimo cinxit muro, in usum Academiæ & Reipublicæ, *Henricus* Comes *Danby*. 1632.

De *Lectoribus Publicis*.

PRælectores Publicos sive Professores quinque munificentia Regia instituit HENRICUS Octavus; scilicet

	Prælectores Hodierni.
I. *S. Theologiæ.*	*Richardus Allestree*, S. T. D. Ædis *Christi* Canonicus.
II. *Medicinæ.*	*Jacobus Hide*, M. D. Aulæ *Magdalenensis* Principalis.

Ægydius Sweat, Leg. Doct. — III. *Juris Civilis.*

Edwardus Pococke, S. T. D Ædis *Christi* Canonicus. — IV. *Linguæ Hebraicæ.*

Robertus Levens, A.M. Coll. S. *Johannis* Socius. — V. *Linguæ Græcæ.*

Alias etiam in variis Facultatibus Prælectiones alii instituerunt, & reditibus omnes honestis, pleraſque etiam splendidis dotarunt: Scilicet

Thomas Barlow, S. T. D. Col. *Reginæ* Præpositus. — VI. *S. Theologiæ*, D. MARGARITA *Richmondiæ* Comitissa, *Henrici* Septimi Mater, An. 1502.

Edwardus Pococke, *Hebr.* etiam Ling. Professor Reg. — VII. *Linguæ Arabicæ*, D. GUILIELMUS LAUD, Archiepiscopus *Cantuariensis*, Academiæ Cancellarius, Ann. 1637.

Joannes Lamfyre, M. D. Aulæ *Cervinæ* Principalis. — VIII. *Historices*, GUILIELMUS CAMDENUS, *Clarentius*, Ann. 1622.

Andreas Crispe, A.M. Coll. *Corp. Christi* Socius. — IX. *Philosophiæ Moralis*, THOMAS WHITE, S. Theol. D. Ann. 1621.

X. *Philosophiæ*

X. *Philoſophiæ Naturalis*, D. GULIELMUS SEDLEY, Eques Auratus, Ann. 1620. — *Thomas Willis*, Med. Doct.

XI. *Geometriæ*, D. HENRICUS SAVILE, Eques Auratus, Collegii *Mertonenſis* Cuſtos, Ann. 1619. — *Joannes Wallis*, S. Theol. D.

XII. *Aſtronomiæ*, Idem D. HENR. SAVILE, 1619. — *Chriſtoph. Wren*, LL. D. Coll. *Omn. Animarum* Socio.

XIII. *Anatomices*, RICHARDUS TOMLINS Armiger, Ann. 1623. — Profeſſor Regius *Medicinæ*.

XIV. *Muſicæ*, JOANNES HEYTHER, Muſic. Doct. — *Edwardus Low*, Muſ. Bac.

In cæteris autem Facultatibus & Scientiis, quoad in his etiam Lecturæ conſimili Benefactorum munificentia dotatæ fuerint, de Lectoribus & Penſionibus alias proſpicit Academia; ſcilicet

XV. *Metaphyſic.*
XVI. *Dialectic.*
XVII. *Rhetoric.*
XVIII. *Grammatic.*

Quod ſi tamen advenis alienigenis hæc loca Publicarum Exercitationum minori aliquando auditorum concurſu ornari, R. Platon. p. 125, 126.

quam in exteris Academiis censeantur; iis audire libeat, tantum hoc abesse ab Academiæ nostræ dedecore, ut & ejus aliqua pars sit gloriæ, qua alias Academias antecellit. Nec enim florentium Britanniæ Academiarum eam esse conditionem, qua gentium aliarum: Ibi plerunque ab istis Publicis Professoribus studiosos pendere omnes: Apud nos vero, quot collegia, tot Academias videri, quibus singulis, quum Linguarum, Artium Liberalium, auditionibus quotidianis, perpetuisque disputantium disquisitionibus, studiosi omnes privatim, multoque majore cum fructu distineantur, patimur non molestè, publica auditoria iisdem horis videri infrequentiora.

De Bibliotheca Publica.

4130. BIbliothecam Publicam primus potuisse dicitur RICHARDUS *de Bury* Episcopus *Dunelmensis* Vir Doctissimus, &, ut ipse de se testatur, *ecstatico quodam librorum amore potentur abreptus*. Sed hanc jam olim absumpsit Tempus edax rerum.

1502. Aliam etiam, supra antiquam *Congregationis* Domum, condidisse fertur *Edmundus Audley* Episcopus *Sarisburiensis*; quam Libris non contemnendis instruxit *Richardus Lichfield* Archidiaconus *Middlesexiæ* & *Bathoniæ*.

1440. Hanc vero quam hodie florentissimam cernimus, omnium Artium ac Linguarum Libris primus instruxit HUMFRIDUS Gloceſtrensis *Dux Bonus* merito nuncupatus; *Henrici* Sexti Regis Patruus & *Protector*, Literarum jam tum revirescentium eximius Patronus: *Joannes Whethamsted vero Abbas sancti Albani*, Humphredo *Duci ab intimis, qui alias* Frumentarius, & de Grano tritici *vocatur, aliam Bibliothe-*

Bt. Twin. Miscell.

cam

cam aliis Libris refertam ſeorſim condidit, illamque Ducis, Granarium, *ſuam vero* Propinarium *vocari voluit: quæ Bibliothecæ ita erant colligatæ, ut una ſemper altera, ut Cibus potu, indigeret, priorque ſecundam appeteret.*

Sed cum hæc omnia rapuiſſet manus ſacrilega, annos fere quinquaginta Bibliotheca Publica caruit Academia: Donec tandem exortus eſt Clariſſ. D. THOMAS BODLEY, Equeſtris quidem Dignitatis, ſed Regiæ Magnificentiæ Vir, qui *cum miſerando ſpectaculo, nihil videret præter araneoſos tanti monumenti teſtes, parietes ſitu ſordibuſque ſqualentes, privato cenſus diſpendio, reſarcire voluit damnum publicum, ſuaque immenſa munificentia infamem eorum memoriam ſepelire, qui privata, aut rabie, aut rapacitate, rei Literarum publicæ tam pretioſam ſupellectilem ſubduxerant.* 1547. 1597. R. Platon. 114, 115.

Intra ſpatium unius biennii, circa finem ſcilicet Anni 1597. *opera quæ dicuntur manualia & inchoata & conſummata ſunt: qua quidem in re utrum Liberalitatem an induſtriam* Bodleii *prædicem, plane neſcio: Nolo multa dicere, aut de cura illius frequenter ad Academiam venientis, aut de prudentia omnia ita diſponentis ut ad fructum & ſtudentium commodum ſumme utilia, & ad ornatum loci maxime ſpecioſa eſſe poſſint. Quibus ita paratis & diſpoſitis, de Libris inſuper comparandis cogitat: primo anno tranſmiſſa ad nos octingenta circiter Volumina; anno ſequente duplicatus eſt numerus, anno tertio & quarto quadruplo auctior effectus, ita ut ſub initio præſentis anni, Bibliotheca Libris, magis quam Libri Bibliothecæ deeſſe videantur. De loco itaque ampliando ſubit cogitatio: quod ad incredibilem Bibliothecæ acceſſionem, & celeriter & feliciter abſolvit. Numerum Librorum requiris? In unoquoque* 1599. T. James Præf. Catal.

ſcientiæ genere Libros excuſos pæne infinitos, Manuſcriptos plurimos reperies. De varietate rogas? En libri omnium pæne Gentium Literis & Linguis editi. Scire vis utendi copiam? Omnibus & ſingulis (ne peregrinis exceptis) de quibus bene ſentit Academia, præſtito prius Juramento de fide erga Libros præſtanda, Muſarum janua apera eſt.

R. Platon. p. 115. *Nec ita modo beneficus, ſed providus etiam, ne iſta ſua conſimili unquam calamitate (quod ſcelus abſit) concuteretur, Reditus & opimos, & Regio Diplomate in omne ævum conſtabilitos comparavit, quibus & Cuſiodum perpetua vigilantia (ſex enim diei horis interſunt, ſuumque ingreſſum exitumque campanæ ſonitu ſignificantes) copioſe remuneretur, & omni temporum injuriæ occurratur.*

Sed & quo aliorum etiam Liberalitatem accenderet Volumen pulcherrimum componi juſſit, in quo & Nomina munerumque amplisudo ad æternam rei memoriam inſcriberentur; R. Platon. p. 120. *quod aureis umbilicis fibuliſque fulgidum, ut omnibus ingredientibus apertam Academiæ minimeque diſſimulandam gratitudinem exponat, eminentiſſimo ſemper recumbit loco, quo ſupremam ſtructuræ frontem Lumen auguſtiſſimum illuſtrat.*

Eſt autem hic Liber multis magniſque *Nominibus* ſpectabilis: (Inter quæ tamen præcipue eminent GUILIELMUS Comes *Penbrochianus*, Academiæ Cancellarius, qui 1629. Bibliothecam *Baroccianam*; 1634. D. KENELMUS DIGBY, qui *ducenta & triginta* ſelecta MSS. Volumina; & *velut inter ignes Luna minores*, D. GUILIELMUS LAUD Archiepiſcopus *Cantuarienſis*, Academiæ etiam Cancellarius, Vir ad ornandas Literas natus, qui ſelectiſſima 1636. novendecem Linguarum *MSS.* Volumina *mille*, aliaque quantivis pretii κειμήλια donavit:) Quorum omnium munificentia

nificentia (adjuncto jam locupletissimo SELDENI Musæo) effectum est, ut OXONIENSIS hæc *Bibliotheca*, Librorum tam calamo quam Typis descriptorum copia, varietate, delectu, si non omnes, quotquot habet terrarum Orbis, antecellat, nulli cedat.

Interim tamen, quod de *Scholis* Publicis notandum censuit Vir Disertissimus, idem de Bibliotheca hic repetendum: Præter enimhanc *Publicam*, habent etiam singula Collegia suas, easque melioris notæ Libris plerumque instructissimas.

De Collegiis:

Et Viris Illustribus.

COLLEGIA splendide constructa, Institutis sapientissimis, Reditibus opimis ornata, numero sunt *octodecem*: In quibus *Mille* saltem studiosi honeste (imo & pars major honorifice) publicis Fundatorum & Benefactorum impensis aluntur. Eorum vero qui propriis sumptibus studiis vacant, numerus in plerisque Collegiis longe major, sed incertus,

Ex his Collegiis prodierunt plurimi Doctrina & Dignitate Clari; quos omnes enumerare, prolixum nimis esset & operosum: Nos itaque satis habebimus, insigniorum, & qui factis scriptisve illustrioribus rem publicam præcipue Literariam ornaverunt, meminisse.

I. *Collegium Universitatis.*

883. HUjus Collegii ipsum Nomen Vetustatis index est: Vetustas Originem obscuram reddidit. Fama est, ÆLFREDUM Regem *Magnâm Aulam Universitatis* condidisse: Quam temporum injuria collapsam GUILIELMUS Archidiaconus *Dunelmensis* instauravit, & proventibus dotavit quibus sex alerentur Magistri. Tres Socios addidit GUALTERUS SKIRLAW Episcopus *Dunelmensis*; totidemq; HENRICUS PERCY Comes *Northumbrienſis*. Alii denique reditibus ædificiisque ornarunt.

1217

Quorum omnium Munificentia hodie aluntur

Magist.
Thomas Walker,
S. Theol. D.

Magister.
VIII. Socii.
Cum Ministris, Famulis, aliisque.

Viri Clari.

Sanctus *Edmundus*, Archiepiscopus *Cantuarienſis*, Obiit Ann. 1242.

Guilielmus Shirwood, Canonicus *Lincolnienſis*, Obiit 1249.

Joannes Shirwood, Episcopus *Dunelmenſis*, Ob. 1494.

Thomas Key, Collegii Magister, Antiquarius, Claruit Ann: 1566.

Richardus

Richardus Stanihurſt, Hibern. Ob. 1618.

D. *Edwardus Herbert*, Baro de *Cherbury*, Clar. 1640.

II. *Collegium Balliolenſe.* 1262.

COllegium *Balliolenſe* condiderunt JOANNES *de Balliolo*, Exul, & DERVORGILDA Uxor ejus (*Joannis Scotorum* Regis Parentes) & Reditibus non contemnendis dotarunt; qui tamen, ut videtur, per frequentia inter *Anglos Scotoſque* Bella, non parum imminuti ſunt. Fundatorum vero, & aliorum liberalitate hodie aluntur

Magiſter. — Magiſt. *Henricus Savage*, S. Theol. D.
Socii, incerto numero,
Diſcipuli.
Cum Miniſtris, Famuliſque.

Viri Clari.

Rogerus Whelpdale, Epiſcopus *Carleolenſis*. Ob. 1447.

Humfredus Gloceſtrenſis Dux *Bonus*, Ob. 1447.

Joannes Freas, Medicus, Ob. 1465.

Joannes Tiptoft, Comes *Wigornienſis*, Angliæ Theſaurarius, Ob. 1469.

Georgius

Georgius Neville, Academiæ & Angliæ Cancellarius, Archiepiscopus *Eboracensis*, Ob. 1476.

Guilielmus Gray, Angliæ Thesaurarius, Episcopus *Elienſis*, Ob. 1478.

Robertus Abbat, Collegii Magister, S. Theol. Professor Regius, Episcopus *Sarisburienſis*, Ob. 1617.

Georgius Abbat, *Roberti* Frater, Archiepiscopus *Cantuarienſis*, Ob. 1633.

D. Thomas Coventry, Baro de *Alesburgh*, Magni Sigilli Custos, Ob. 1640.

III. *Collegium Mertonenſe.*

1274. COllegium *Mertonenſe* condidit GUALTERUS *de Merton*, Angliæ Cancellarius, & *Roffenſis* Episcopus, *unius exemplo, omnium quotquot extant Collegiorum Fundator, maximorum Europæ totius ingeniorum fœlicissimus parens*, ut in Epitaphio ejus legitur: Etenim non Reditibus tantum opimis, sed & Statutis eximiam Sanctimoniam & Sapientiam testantibus ornavit; *Et iis non aliena opera sed proprio Marte conſcriptis; ſtylo ſic eleganter morato, ut ſit repertu mirus in ætate illa, quam barbara impolities totam alias inundaverat.*

Præf. ad H. *Jacob.* Orat.

